DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
TYPHO;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JACOBUS S. FERRALL,
Anglus.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.
MDCCCXVIII.

VIRO PRÆSTANTISSIMO

ALEXANDRO HUNTER,

DE *WATERTON*,

IN COMITATU AYRENSI,

ARMIGERO,

AD SIGILLUM REGIUM SCRIBÆ,

LEGUMQUE PERITISSIMO;

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMO HAUD INGRATO,

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

Inter morbos diversos, quibus genus humanum patet, nullus attentionem medici, præ eo, de quo consilium est mihi in paginis sequentibus agere, sibi vindicat; quippe qui fere ubique grassatur, et periculum maximum infert, nec juvenes viribus fisi, nec longo annorum lapsu fracti senes, hac dira peste immunes sunt.

DEFINITIO.

Cullenus celeberrimus hunc morbum ita definivit:

"Morbus contagiosus; calor parum auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatæ; vires multum imminutæ."

In hac definitione, et sub hoc nomine, omnes febres contagiosas, Synocho excepto, Culleno visum est complecti. Sed hunc quoque tantum pro varietate Typhi, Gregorio nostro habere placuit.

HISTORIA.

Quamdiu post corpus causis excitantibus objectum morbus in eo latere possit, minime constat. Haygarthio a die decimo ad diem septuagesimum secundum placuit. Tabo pestilente, unde febris nascitur, causis quibuslibet admodum

admodum aucto, corpori admoto signa extemplo accedunt.

Plerumque post quosdam dies elapsos, æger de calore et frigore vicissim corpus pervadentibus conqueritur. Haud multo postea artus tremunt, lacerti torpent; omnia membra quasi nisu quodam vehemente exhauriuntur; appetitus deficit; fastidium cibi et nausea adoriuntur, et sordes bile mista vomitu rejicitur: caput gravedine, vertigine et dolore, præsertim circa occiput, laborat; arteriæ celerius solito micant.

Vesperem versus, hæc signa ingravescunt. Nox est inquieta, et somnus, si quando accesserit, plerumque brevi aufertur, nec reficit; animus quoque hebescit. Die quinto vel sexto, interdum aliquanto citius seriusve, omnia hæc signa graviora fiunt; ægritudo et nausea usque ad vomitum increscunt. Dolor, gravedo, vertigo, necnon delirium, caput affligunt. Lumbi majoresque artus et dorsum maxime dolent.

Morbo invadente, motus arteriarum nonnihil incitatur. Ictus earum interdum sunt exiles et duri, aliquando ex tardis et æqualibus, inæquales et tremuli fiunt: morbo vero provectiore

tiore subinde intermittunt, et mortem instantem denotant, a medico explorante, vix aut ne vix quidem percipiendi. Arteriæ *carotides* sæpe valide et incitatius saliunt; dum illæ carpi remissæ admodum et tardæ, delirium scilicet adesse indicantes, moventur.

Toto corpore adeo laborante, pulmonibus sua mala haud desunt. Respiratio summo labore perficitur; suspiria ab imo pectore crebro ducuntur; ægrum anxietas et sensus alicujus præcordia quasi constringentis invadunt. Morte instante spiritus maxime fœtet, et dentium radices crusta nigricante obducuntur.

Lingua initio plerumque est mollis et humida, et pituita alba tegitur; morbo vero progrediente fit arida, et lineis fuscis, sulcis interjectis, variatur; per totum morbi decursum interdum est mollis et humida, margine luteolo vel subviridi perstante. Febre maligna sæviente, cura non ægro adhibita, lingua nigricat, et plurimis incisuris exasperatur. Sitis plerumque non adest magna, interdum vero haud sedanda. Modo æger potum omnigenum, utpote ori maxime ingratum, aversatur et respuit. Fauces

sæpe

sæpe *aphthis* efflorescunt; quæ per totum meatum alimenti aliquando serpunt, *dysenteriam* cruentam genituræ.

Urina multum variat; sæpissime est pallida et parca; nonnullis tamen rufa excernitur, et plerumque nil ex ea decidit, sed nebeculas veluti furfuraceas, in se pendulas exhibet. Quod si æger in præcipiti sit, urina etiam fusca, nigra, cruentaque fit, atque graviter olet. Finem versus, si res se melius habent, crassa est, sed adhuc nihil demittit concreti. Si æger humiditati et frigori non objectus fuerit, alvus plerumque est adstricta: Si ex frigore et humiditate febris orta sit, plerumque soluta est; undecunque tamen provenerit, ad finem usque eundem spectare solet.

Febre primum adoriente, summa cutis etiam haud multo post alicui contrectanti, parum calere videtur; febre vero ardente, interdum digito superficiei admoto et aliquamdiu retento, ardor revera ingratus fit, qui illo etiam reducto aliquantisper perstat. Morbo diutino pedes nisi arte foveantur, frigescunt, quamvis æger interdum sudat. Cutis, initio, sæpissime arescit; sed

sed sudor maxime fœtet, et ægro ipsi magnopere est injucundus.

Quidam per totum morbi decursum non delirarunt. Omnes, vero, stupent, mente plus minusve capti; et morte adstante, plerique insani hallucinantur. Non desunt tamen ægri quos delirium aliquamdiu plexuerit, paulo ante mortem, integra mente fructuri.

Raro febrientes dormiunt; et quamvis adstantibus dormire videantur, tamen ipsi se hujus rei sibi conscios fuisse negant. Ægro mens sæpe adeo usque turbatur, ut noctu imprimis prorsus delirio laboret: sed, calefacturis evitatis, hoc nunquam ferox evadit, quia hac febre laborantes, mœsti solicitique præ cæteris observantur.

Morbo ineunte, auditus nonnunquam acutissimus est; modo vero surditas accedit: modo per morbi decursum auditus multo fit hebetior.

His signis maculæ cœruleæ sæpe accedunt; interdum die quarto quintove, modo non ante decimum quartum, prodeunt. His abeuntibus, dejectiones nigræ, fœtidæ sæpe cruentæ, nullo autem

autem tempore definito, superveniunt. Die undecimo circiter vel decimo quarto, sudore profuso erumpente, cutis ex toto deflorescere cœpit, et pustulæ multæ albidæ *miliariæ*, signis tamen nihil levatis, maculas excipiunt. Morte instante, conspicuæ sunt hic illic lineæ livescentes, quibus nomen est *vibices*, quippe cum eas partium in quas verberibus animadversum est multum referunt.

Sub finem morbi aspectus vultus est cadaverosus. Visus nunc acerrimus, nunc hebetior, oculis lucis quidem vividissimæ non sentientibus. "Æger floccos in veste legit, atque fimbrias deducit; vel, si quæ in pariete adjuncto minuta eminent, carpit, vel nebeculas quasi obvias natantes videt*." Vires cum animi tum corporis deficiunt; oculi lumen refugiunt, et lacrymis sunt suffusi; urina et fæces ægro invito elabuntur; ungues sunt pallidi et lividi; arteriæ tam crebro, tam imbecilliter et trepide pulsant, ut ictus earum, medico exploranti, vix ac ne vix quidem numerari possunt;

* Celsus.

sunt; manus intremiscunt; tendines digito imposito subsiliunt; membra, primum extrema, dein cæterum corpus, frigescunt; tandem, medicamentis frustra adhibitis, votis adstantium et plorantium vanis, æger, fato cedens, spiritum extremum ducit.

Qualiscunque eventus hujus morbi foret, hic ante diem quintum vel septimum rarissime finitur, et ad diem decimum quartum vel etiam vigesimum usque profecto sæpius protrahitur. Bubonibus aliquando finitur. Revalescenti ex hoc morbo, per multos postea menses, interdum fatuitas accedit.

CAUSÆ ABDITÆ.

Corporibus hominum et aliorum animantium vis quædam inest, qua, dum vivitur et valetur, viribus nocivis magna ex parte obviam eatur. Hæc vis ex corpore incolumi et partibus inter se convenientibus et consentientibus oriri videtur; et vita progrediente, causis præ innumeris variat. Res ita se habere, ex aliis hominibus

hominibus eadem causa varia affectis, et eodem homine aliis temporibus, constare videtur. Hæc dissimilitudo diversorum hominum inter se et ejusdem secum, major est vel minor, prout corpus naturali sua debilitate, vel quibusdam causis debilitantibus admotis, suis muneribus fungendis plus minusve impar sit. Quo longius a sanitate distet, eo causis nocivis potius afficitur. Omnia igitur corpus debilitantia, hoc ad Typhum propensius reddunt. De præcipuis horum breviter loquar.

Calor.—Hoc intra certos fines ad vitam animalium et terra nascentium sustinendam omnino opus est. Vere redeunte, omnia quæ munere terræ aluntur, reviviscunt et vigent. Hieme appropinquante, frigore constringuntur, et haud raro moriuntur. Calor autem nimius insaluber est, et interdum enecat. Vis fortasse qua corpus debilitare queat, ad facultatem quæ ei inest, partes solidas resolvendi et cohæsionem inter eas minuendi, referenda est.

Frigus diu corpori admotum.—Si calore ad vitam conservandam opus sit, quomodo frigus, abstractio scilicet caloris, corpori noceat, facile

concipere possumus. Mortem, revera, ni corpus, artificio Naturæ mirando, calorem generandi, seu potius evolvendi, vi polleret, cito inferret. Sed quum quo citius calor auferatur, eo vehementius hunc evolvere corpus renititur, vires hujus frigore vehemente, vel diu admoto, exhauriuntur.

Inedia.—Fricatione et exhalatione non tantum partes fluidæ sed etiam solidæ corporis, continuo adeo consumuntur, ut nisi ex hac jactura partium ab alma rerum Parente præcaveatur, homo brevi periret. Ne hoc fiat, appetitu solicitante, cibum et potum appetimus, assumimus, concoquimus; concoctus uterque per totum corpus diffunditur, qua opus est apponitur. Sed cibo deficiente, vel non satis nutriente, tunc ratione acceptorum atque impensorum inter se parum convenientium, corpus necessario debile fit.

Vigilia.—Ad vitam et salutem omnium animantium imprimis hominum, aliud præter cibum et potum necessarium est. Ut homines enim se bene habeant, non solum corpus exhaustum idoneo nutrimento reficere, sed etiam

temporibus

temporibus interpositis, ab omni actione, nisi qualis ad vitam necessaria sit, ex toto cessare oportet. Hoc igitur est consilium Naturæ, ut vitam aliqua ex parte in dulcibus somni amplexibus transiremus. Somno non capto, vel sæpe interrupto, quantum periculi ex labore perpetuo corpori instet, in aprico est.

Ignavia.—Quamvis exercitatio vehemens omnigena corpus debilitet, quies tamen perpetua, pariter ac exercitatio nimia, corpori insigniter est inimica. Exercitium enimvero intra certos fines ad mentis et corporis sanitatem, omnino est necessarium; hoc autem neglecto, corpus enervatur et debilitatur.

Ebrietas.—Humano corpori lex immutabilis, unicuique incitationi laxitatem pro rata parte magnam supervenire, imposita est. Incitatione nimia vires adeo deficiunt, ut nisi post aliquod tempus elapsum, non redintegrentur. Modo simili, omnium rerum, quæ admodum incitant, corpus debilitantium, ratio reddi potest. Hujusmodi sunt, ingurgitatio; venus immodica; lucubratio nimia; quidam animi motus, ira præcipue et gaudium.

Quæ animum contristant.—Hæc sunt timor, metus, tristitia, mœror, desperatio. Corpus ab his debilitari inter omnes constat. Ista scilicet motum sanguinis languidum, faciem pallidam, genuum tremores, et interdum urinæ et stercoris emissionem invitam efficiunt, genere nervoso debilitando.

Exinanitiones nimiæ.—Ad corpus incolume et validum servandum, quædam plenitudo vasorum confert; sed, partibus fluidis multum minutis, et, igitur, vasis per quæ moventur collapsis, debilitas summa invadit. Debilitas hujusmodi, vel jacturam sanguinis, vel exinanitionem nimiam intestinorum, pro causa sua potest agnoscere.

CAUSÆ EXCITANTES.

Halitus ex corpore humano, vel ex substantiis putridis sive ex animalium excretis, sive ex cadaveribus, magna copia collectus, mutationem peculiarem subire videtur, adeo ut corpori humano

humano potissimum ei obnoxio, admotus, morbum, de quo agitur, excitet. Halitus vel exhalatio sic mutata *contagium* vocatur.

Quædam de Contagio hic proferre in animo est. Hoc ex corpore humano, vel sano vel morbido, sæpe oritur. Siquando enim homines frequentissimi loco quolibet tecto congregantur, exhalatio ex corporibus eorum cumulata, acrimoniam gravem sæpe adipiscitur. Ex mundities neglecta, vel ex loco libero, aëris perflatu privato, hoc imprimis accidit. Contagium, igitur, ex carceribus et valetudinariis, sed præcipue ex valetudinariis castrensibus et classiariis, atque ex navibus carcerariis, ob has causas, originem sæpe ducit. In his nempe necessitati rerum publicarum potius quam civium commodo, provisum est. Ex iis hoc morbo laborantibus sæpissime, sed interdum ex illis aliis morbis implicitis, contagium vulgatur.

Putredo quoque præcipue cadaverum et stercoris valde nocet. In Memphi, urbe Ægypti celeberrima, canalis est cadaveribus et oppidanorum colluvie inquinatus, et quem Nilus turgidus,

gidus, ripis effusus, quotannis influit. Flumine semet in alveum relictum paulatim recipiente, et sole fervido simul æstuante, humor colluviem, tetram, putridam reddit. Gravissima inde vaporatione pestis genita, stragem edens, longe lateque arbitrio auræ circumvolat.

In quibusdam locis, quoque aura maligna e boum penetralibus putrescentibus, qui in magno numero trucidantur, generata esse dicitur.

Contagium semel generatum contactu, vento, vestibus, et mercium colligatorum sarcinis, propagari potest. Aliquando etiam supellectili, domuum parietibus, et navium tignis, quæ penetraverit, diu inhæret; et, occasione oblata, identidem familiam et navales comites Typho afficit.

Contactus.—De modo quo contagium sic vulgatur non plurima opus est dicere, quippe qui omnibus est notissimus.

Ventus.—Distantia, qua aëre unico intermedio quieto contagium aliquem incessat, profecto brevis est: dilutius minus nocet; aura

vero

vero vel vento, viribus nondum adeo minutis, quin hominibus obviis exitio sit, vulgari potest. Res sic existere, id quod foro juridico Londini (Anglice, *Old Bailey*) olim accidit, satis demonstrat. Aër, quoque, humidulus et impurus, ad contagium vulgandum multum operæ confert.

Vestes et merces in fasciculos colligatæ,—sunt alia vehicula quibus contagium adhuc certius grassari potest. In eis enim latens, in alias aliasque urbes et regiones invehatur, et interdum navibus mercatoriis trans mare trajectum terris longinquis incubat, et incolas inopinantes acervatim enecat. Hoc saltem affirmant omnes auctores qui de contagio disseruerunt.

Dum in his substantiis, quibus nomen est Fomites apud medicos, contagium latet, insignem acrimoniam, quod mirum est, adipiscitur, et iis quos inficit, mortem citius afferre fertur. Bajuli seu lectucarii, quorum erat ægros ad Valetudinarium Haslarense portare, vel ii qui vestimenta immunda purganda, inde deveherent, multo sæpius graviore febre, quam aniculæ, quæ ægris famulabantur, affecti erant; nisi hæ, si quando, incuria vituperanda, vestes immundas,

neglectis

neglectis imperiis, in cubiculis prope se haberent. Contagium corpus tribus modis subire potest:

Primo, Pulmonibus.—Quamvis plurimi auctores contagium in corpus per pulmones posse invehi, sibi persuadent, res tamen necne ita se habeat, anceps hæreo; quamvis enim contagium pulmones cum aëre adeat, tamen hinc statim redditur; quin et ne aliquid injuriæ pulmones inde acciperent, humore in animæ canales exhalato, alma natura providisse videtur.

Secundo, Ventriculo.—Signa, quæ post aliquem contagio acerrimo objectum cito prodeunt, istiusmodi sunt, ut exinde in sanguinem circumfluum contagium frequenter introferri, sit verisimile. Sunt enim vel signa ventriculi ipsius dolentis, vel qualia ex hoc se male habente, enascuntur; nausea, nempe, vomitus; vertigo; et capitis dolor. Hæc opinio adhuc eo magis firmatur, quod acria ingesta, ne quivis contagio corripiatur, magnopere impediunt. Quare hoc faciant, nulla alia ratio potest reddi, quam quod salivam fere continenter movendo, quo minus contagium in ventriculum accipiatur obstant.

Tertio,

Tertio. Vasis cutis absorbentibus.—Eadem fere hic ac modo dicta, recensenda sunt. Propter enim mirum consensum summam cutem inter et ventriculum, res illi admotas, eadem fere signa in hoc efficere, quæ huic ipsi admotæ efficissent, notum est.

Contagium corpus debilitare inter omnes fere medicos adeo convenit, ut plura, ad hanc opinionem firmandam, vix dicere opus sit. Argumenta quibus nititur CULLENUS perspicue protulit. Opus est hic adjicere illas causas remotas febris, halitus vitiosos ex corpore humano et paludibus, vi debilitante vel sedatrice pollere. Hæc ex materia putrescente oriuntur. Res putredini faventes ortum his præbent : iisdem vis augetur ; et fermenta putrescentia quo ad humores vivi corporis sæpe evadunt. Ut materia putrida, igitur, quoad corpora animalium viribus valde sedantibus prædita est, sic auris ex animantibus et paludibus, eandem vim inesse, vix dubitandum : hæc opinio eo est verisimilior, quod vires tanto magis labefieri solent, quanto graviores et pejores hæ noxæ sævierint.

RATIO SIGNORUM.

Pulsus arteriarum celer, imbecillus et tremulus.—Sanguis, cum cor et arteriæ eum extrema versus vi idonea propellere nequeant, in corde et vasis huic vicinis sanguinem vehentibus, congeritur. Sanguine ex hac causa cumulato, cor et arteriæ ampliores in motus profecto et crebriores cientur. Sed quia cor, vi contagii nociva debilitatum, sanguinem in arterias majores, imprimis aortam, impellere non potest, arteriæ carpi imbecilliter et inæqualiter micant.

Animæ corpore erecto defectus.—Hoc quoque signum ex renixu cordis et arteriarum minuto, impetuque sanguinis ob hanc rem languidiore omnino pendet.

Artus frigidi.—Eidem debilitati cordis et arteriarum, frigus extremorum tribuendum est. Sanguis enim calorem per corpus diffundit; et igitur, illo ubivis deficiente, ibi quoque hic deficit.

Cutis

Cutis lentor.—Cutis ideo lentescit quod vasa extrema corporis fluida propria, ob laxitatem continere nequeant.

Respiratio crebra, imbecilla et gravis.—Hoc accidere videtur, quia musculi respirationi inservientes, adeo sunt debiles, ut pectori modo, quo oportet, dilatando impares sint: eamque ob rem, pro rata parte, semet frequentius contrahere et relaxare cogantur. Cum vero nihilominus sanguis e latere cordis dextro, per pulmones, non satis expedite diffundatur, æger pectore ampliato, iter ei expeditius, quo per pulmones fluat, præbere suspiratu conatur.

Cur æger in vestibus floccos legat fimbriasque deducat,—GREGORIUS noster edoctus in *Conspectu* suo (CCLVI.) verbis sequentibus explicat: "Si pars tantum retinæ torpet, maculæ nigræ "in rebus quas spectamus, conspiciuntur, et "muscæ ante oculos volitantes, signum in "febribus frequens sed pessimum et vix non "lethale."

Visus privati et duplices,—ab eodem auctore verbis sequentibus ratio redditur: (*Conspect.* CCLXII.) "Causam tanti vitii musculis oculo-

"rum

" rum sæpissime inesse verisimile est, qui male formati, vel paralysi, rigiditate, contractione corrupti, oculos ordinate et æqualiter regere nequeant."

Oculi quasi intus recedere videntur,—quia morbo progrediente pinguedo, quæ quasi pulvinus est, cui incumbunt, aliqua ex parte resorpta est. Cur immoti fiant, vel languide moveantur, causa est debilitas musculorum, quorum eos est valetudine integra, movere.

Facies collapsa—apparet, quia maxilla inferior, ob musculos ejus maxime debilitatos, gravitate propria decidit.

Supinus jacet æger,—quia, corpore ita posito, musculi morbo jam valde debilitati, et motus impatientes, minus exercentur. Devorandi difficultas vel impotentia, musculis gulæ debilitatis vel interdum resolutis tribuenda est.

Fæces inscio ægro dejectæ,—debilitato vel resoluto musculo anum claudente nascuntur.

Putredo vel in eam proclivitas, cujus signa se interdum exhibent, motu ob debilitatem minuto, qui favet putredini, effici videtur.

Sitis inexplebilis, et acidorum cupiditas,—oris et faucium ariditati, instinctuique mirando,

quo,

quo, dum opus est, res salutares, cupide appetimus, tribuenda sunt.

PROGNOSIS.

Faustus hujus morbi exitus futurus sit, an infaustus, prout adsint signa, necne, quæ debilitatem periculosam, vel proclivitatem humorum ad putredinem indicent, deducendum est.

Ægrum debilitate hujuscemodi implicitum esse, cum arteriæ celeriter et quasi subsultim micant, liceat concludere: cum situ erecto defectio est animæ; cum membra extrema frigescunt et cutis lentescit; cum spiritus imbecilliter, crebro, cum labore et suspirio frequente trahitur et emittitur: cum visu turbato, æger res natura simplices, confusas et duplices videt; cum in vestibus floccos legit vel fimbrias diducit, vel quosdam imagines veluti oculis obvias corripere subinde conatur; cum oculi intus quasi recedant, vel immoti hærent, vel languide moventur; cum æger supinus recumbit, genuaque ejus contracta sunt; cum tremit manibus,

manibus, neque ore linguam movere potest; cum urina et fæces illo invito elabuntur, et oculi lacrymis suffusi sunt; cum musculis pharyngis resolutis, aliquid vel cibi vel potus devorare nequit; cum suæ mentis non est, sed aliena loquitur; cum denique stupore obruitur.

Fluida corrupta esse vel in putredinem proclivia, sequentia demonstrant: ventriculus omnem cibum, præcipue carnes, aversans; nausea; vomitus; sitis non sedanda, acidorumque appetitus; sanguinis hic illic, sine renixu aucto cordis et arteriarum, profluxus; petechiæ, maculæ, vibices, et serum subflavum infra cuticulam effusum, extremum corpus inficientia; necnon spiritus fœtidus, dejectiones fœdæ, partesque exulceratæ lividæ, urina valde rubra et turbida, et denique totum corpus cadaveris instar olens.

RATIO

RATIO MEDENDI.

In duobus stadiis hujus morbi, duo consilia medendi idonea videntur: nempe, febrem tollere, signisque molestioribus occurrere.

Ad primum consilium perficiendum, statim conandum est: nam hoc tantum possumus persolvere, morbo ineunte, exacerbationibus levibus febrem haud rite constitutam ostendentibus, quod, spatium ab initio morbi, ad diem tertium vel fortasse ad septimum usque, complectitur. Sed, hoc tempore præterito, ut systematis actioni nimis vehementi obstetur, vel si hæc justo debilior sit, ut vires languidæ suscitentur, summis viribus conandum est. Ad primum consilium obtinendum, affusio aquæ frigidæ, vomitus alvique moventia, præcipue admoventur. Affusio frigida ad febrem invadentem arcendam, plurimum operæ confert: statim post impetum adhibita, et si calor corporis non minor sit quam gradus nonagesimùs octavus instrumenti Fahrenheitiani, nullo sensu algoris

algoris vel sudationis, signis catarrhi absentibus, nulla ex tribus magnis cavis corporis inflammatione correpta; quo promptius nunc adhibita, eo magis febrem tollere polleat. Si febris cursui obstare nequeat, hanc saltem multo leniorem reddit. Celeritatem pulsus arteriarum morbidam minuit; cutem laxat; perspirationem levem et æqualem excitat; sitim sublevat; nauseam sedat; somnum inducit; et ægrum gratissime plerumque afficit, contagium minus periculosum, et petechiæ raro superveniunt. Si affusionem frigidam præscribere, quia morbus aliquot dies jam perstiterit, medicus timeat, totum corpus aqua frigida vel tepida, prout calor sit, cum aceto mista, lavari debet.

Ad febrem tollendam, vomitus quoque, ut supra diximus, arte ciendus est. Ut effectus suos rite exhibeant, prompte adhibenda sunt; nam uno vel altero die elapso, febris cursui raro obstare possunt, sed mature sumpta, multum prodesse non dubium est; sordes quibus ventriculus gravatur, tollunt, et morbum accedentem fugant. Inter medicamenta vomitoria,

ria, ipecacuanha et tartras antimonii et potassæ, præcipua sunt. Debilitate præsente, ipecacuanha utpote mitis, posteriori semper est anteponenda: sed debilitate absente, præparata antimonii ad febres fugandas quam ullum aliud medicamentum magis valere inter medicos constat.

Tartras antimonii, aqua solutum, exiguisque dosibus sumptum, omnique quadrante horæ repetitis, usque ad vomitum inductum, bene respondet.

Purgantia ad febrem tollendam haud raro exhibentur; sed his, hoc consilio minime fidere oportet. Ad signa quædam nihilominus levanda multum prosunt; et per totum morbi decursum obstipationi præcavere, summa attentione medicum oportet.

Secundum consilium medendi est, ut antea dictum, signis molestioribus obstare.

Secundo stadio Typhi, ut vires ægri sustentemus, somnum ægro conciliemus, et delirium ex cerebri congestione pendens tollamus, vinum nostrum est exhibere; hoc quoque sitim sedat, tremores et subsultus tendinum levat,

remedium nullum igitur hoc consilio exhibitum præstantius est.

Opium, signis inflammationis absentibus, convulsiones aliquando tollit, tremorem, vigiliam et singultum levat, morbum nonnunquam mitiorem reddit.

Cinchona officinalis ad vires reficiendas, sanitatem restituendam et recidivam cavendam, utilis est. Post typhum formatum, id est, pulsu inter exacerbationes debili, aliquid cinchonæ cum vino utiliter sumatur.

Ad capitis, thoracis, et ventriculi affectus levandos, vesicatoria inter medicamenta validissima nobis nota, jure recensentur. Capitis autem abrasio, et lavatio frigida, omnia commoda ex iis expectanda plerumque præbent.

Diluentia exhalationem per cutem excitandi, sitim et diathesin phlogisticam levandi, et fortasse spasmum solvendi, viribus pollent.

Ad munditiem et perflatum summa attentio est adhibenda. Æger ab aëre impuro quamprimum amovendus est: sub ubi hoc nequit fieri, in carceribus, navibus, nosocomiis et locis hujuscemodi, ad suffitum statim confugiendum

est.

est. Vapores nitrici a plerisque medicis præ aliis anteponuntur. Acido nitrico pro suffimine continuo admoto, nullum exemplum febris contagiosæ, Doctore Carmichael Smyth testante, vel nutrici vel adstanti, impertitæ, cognitum est.

Modus illud exhibendi constat immittendo unciam dimidiam acidi sulphurici in crucibulum, vas vitreum vel fictile; hoc calefacto, eidemque nitratis potassæ paululum addendo.

Omnibus remediis nunc recensitis prudenter adhibitis, cum morbus fauste desierit, et æger convalescere incipiat; ne iterum in febre incidat, victu levi et facile concoctu, exercitioque leni, quale non multum fatiget, sedulo cavendum est. Omnis intemperantia, donec vires æger penitus receperit, et ad valetudinem pristinam redierit, pejus cane vel angue evitanda est.

FINIS.